QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 13. Decembris.

M. NICOLAO MATTHIEV, DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

Est-ne soliùs Gustûs de alimentis ferre judicium?

I.

VITA non est caloris nativi in humido primigenio permansio; nec illius extinctio, aut hujus marcor, mors. Vtriúsque incolumitate stat vita; alterutrius defectu planè desinit: calor deficit repentè à contrario; sensim, sede ac fundamento inarescente, quod assiduè depascitur, nunc ocyùs, nunc tardiùs. Hinc stato ratoque annorum numero senectus non definienda, quæ, cùm impediri nequeat, retardari potest (ut & fatum) convenienti sex rerum non naturalium usu, aëris imprimis salubris (per nares, non os) spiritu ducendi & alimenti cuique hominum naturæ & temperamento idonei; quibus triplicis substantiæ spirituosæ, humidæ & solidæ fluor indesinens quovis tempore restauratur; uberiùs tamèn & felicius per somnum, quàm per vigiliam. Vt res utraque nobis semper præstò sit, sapienter prospexit natura, cùm nos infimæ regionis aëris (quatuor qualitatum primarum capacis) fecit inquilinos, & nares semper patulas (in homine solo prominulas) ex cartilagine, non osse dumtaxat, compegit; ut si quid vitij in ipso olfactus, vel ratio retexerit, manu alterutrâ iis obturatis protinùs à nobis arceamus. Et ne alimenta usquam desint, tàm multa, tàm varia, támque jucunda, in aëre, aquâ & terrâ, neque ea uno tempore anni, gignit, ut non immeritò ambigi possit, num pari curâ delectationi ac saluti & necessitati nostræ semper & ubique occurrere studeat? Quibus promiscuè ne in perniciem nostram, perinde ac sanitatem abutamur, judicio opus. Id ut

rectum sit, cognitione per sensus haustâ niti debet, non quoslibet, sed quibus datum est eorum, quibus vescimur, dotes & vires explorare, effectus experiri.

I I.

ALIMENTA, ex eorum genere quæ τὰ πρός τι dicuntur, res sunt non naturales, substantiæ corporeæ, mixtæ, pluribus constantes substantiis ac partibus distinctis naturâ, substantiæ modo, qualitatibus non uniûs generis, nonnunquàm inter se pugnantibus temperamento, ex quarum unoquoque unum emergit, quod totius compositi proprium est: hujus proprietates ut & formarum, jure vires occultæ perhibentur. Cum hac substantiarum discrepantia, qualitatum & temperamentorum dissidio, stat tamèn ea cum corporis nostri partibus similitudo, quâ post multas mutationes in partium substantiam facessunt; in senibus, tantùm ut subsistant; in juvenibus, ut prætereà incrementum capiant: tametsi annorum decursu facultas auctrix nusquam intercidat. Quæcumque eas mutationes subeunt de alimentorum familiâ sunt; conveniens iis adest cum calore nostro nativo (non unico mutationum illarum authore) proportio, & cum corporis nostri partibus substantiæ familiaritas (quam quibusdam coctio conciliat): hinc appetuntur, ut famem expleant, sitim sedent, vires roborent, & animam deficientem fulciant, priusquam triplicis substantiæ deperditæ jacturam reipsâ nullâ in corpore peregrinâ qualitate superstite resarciant; in quibus alimentorum ratio posita consistit.

I I I.

RERVM substantiæ sensuum examen & censuram non subeunt, cognitionem nostram effugiunt, nisi suis ipsæ se prodant qualitatibus aut effectis: manifestarum, arbitri sensus; latentium, experientiâ duce ratio, infida magis quàm brutarum animantium instinctus, non insulsus virorum etiam doctiorum magister. Ad alimentorum dotes accuratiùs penitiùsque investigandas non providam modò, verùm & sagacem se præstitit natura, cùm gustum non unicum eorum judicio præfecit prætulitque, & visum, odoratum atque tactum illi mancipavit. Eamobrem ut oculi, sic nares oris vicinitatem secutæ, cui labia tanquam asseclæ adjuncta, ne quid gustatui tanquam principi cibi & potionis judici offeratur, cujus visus, odoratus & tactus periculum non fecerint & probaverint: hinc vinum fugiens ac jam vappam si visus deprehenderit, & olfactus acorem (illius σαπρότητα) contraxisse persentiscit, protinùs abjicimus, ut potè potui ineptum, gustare cum fastidio non dignati: Quæ ingerenda sumuntur, si calore nimio, vel frigore, vel asperitate labiis sint infensa, è vestigio, ut gustui nocitura, repellimus. Is ore continetur & ad incolumitatis custodiam aptè, & ad usum ac munus suum obeundum: ejus sedes non unica est; organum præcipuum, (non in omnibus animalibus) lingua; vel potiùs ejus tunica mollis, tenuis, porosa, spiritu innato partim aqueo, partim terrestri, & influente ejusdem indolis perfusa; objectum, sapor; medium, humor, non quilibet, sed organo & objecto cognatus: Hunc, nisi alimentum contineat, suppeditat lingua sibi inexistentem, aut à vicinis partibus mutuatum, nec nimiâ copiâ, nec alienâ qualitate donatum. Id si durum & concretum, simul ac admovetur, frigore quidem suo, aut duritie tactum movet; non ante gustum, quàm à linguâ salivâ irrigatum, aut illius calore liquefactum ac dilapsum diffundatur: Si durum nec

liquari possit, dentibus (sensu præditis, & quovis alio osse durioribus) incidendum, atterendum, lævigandum, liquore salivali undiquaque perfundendum, priusquam sapores substantiis variis, ex quibus coaluit, insidentes gustum afficiant; quem non movent purgandi vis, nec venenata qualitas (si quæ illi insit vel à naturâ, soli conditione, rerum viciniâ, pastu aut aliâ ratione): Vsu itaque solo aut etiam ratione innotescit.

IV.

ID quod alit, ut quod alitur, simplex non est; odoris & saporis expers esset, nec appeti posset, nec oggeri: Mixtum itaque est, non tantùm constans quatuor simplicibus corporibus variâ inter se proportione copulatis & exactè permistis, eorumque qualitatibus primis variè refractis & retusis; verùm & substantiis pluribus, ex iis genitis, consistentiâ, temperamento, colore, odore, & sapore inter se discrepantibus; ex quorum omnium unicuique à naturâ inditorum integritate, ut de ipsius bonitate dubitare nefas est; sic ex iis labefactatis aut corruptis labem aliquam aut vitium illi inustum esse, certum indubitatumque est. De esculentorum à potulentis discrimine rectè judicant visus & tactus, & de eorum tenuitate aut crassitie, duritie aut mollitie &c: sed quæ concrescere à calore aut frigore nata sint, quæ liquari valeant, vel non, id rationis est usu firmatæ, statuere. De illorum coloribus, visûs; de odoribus, olfactûs; & de saporibus, gustatûs, judicium erroneum esse non potest: maxima siquidèm est in sensibus circa propria objecta occupatis veritas. Color & odor qualis sit eorum substantia & temperamentum, non demonstrant, at sapor: hinc acerba omnia substantiam nacta sunt crassam & terrestrem, temperamentum frigidum siccum; salsa terrenæ sunt substantiæ, calida & sicca, minùs tamen quàm amara; unde qui plusculum jejunium pertulerunt, iis saliva salsa; qui plurimum, amara: ab his & cæteris gustus afficitur; à solo acri, gustus & tactus. Alimentorum vires his sensibus impervias ratio sola investiget, si eas experiri non detur citrà sanitatis aut vitæ dispendium.

V.

MANVS ideò nobis datæ sunt, ut non ad otium & desidiam, verùm ad laborem à Deo conditos esse semper meminerimus. Eo tametsi mediocri calor noster intenditur, & sanguinis in universum corporis habitum facilis expeditaque fit anadosis; excrementa per ipsum quoquoversùm diffusa attenuantur, discutiuntur, non levem alioqui noxam vitæ principiis eorumque sedibus illatura. Hæc equidem commoda, hos usus præstare non potest, quin spiritus partiumque substantia multiplex ex eo detrimentum non capiant; quod ut oppidò aut quàm citissimè restauretur, earum unaquæque, quod sibi proprium est & εὐπρόσφυτον, appetit, attrahit, nec attrahere per venas priùs cessat, quàm voti fiat compos. Tractio continuatâ serie ad hepar usque protenditur, (concupiscentiæ naturalis sedem) cujus est sanguinem (unicam materiam omnibus corporis partibus alendis idoneam & ad alias functiones naturæ necessariam) subministrare; quem jugiter non potest præ chyli penuriâ, quâ inanitum laborare se significat suctu suo per venas ad orificium superius ventriculi pertinente, illudque divellente. A divulsionis sensu, cibi & potionis convenientis nascitur desiderium. Is non ingeritur, nisi tactu, visu & odoratu exploratus. Vbi ingestus est an-

ἐπιτήδειος sit, necne, judicat gustus? cui si suavis videatur, erit & ventriculo, qui tanquam prudens promus condus omnibus universi corporis particulis prospicit, providetque; quoniam nihil expetit, nisi quod sibi iisque ex usu esse potest, idque non modò conficit & coquit, sed & tanquam promptuarium colligit & asservat: fame verò expletâ & siti sedatâ, utrique ingratus erit: hinc est, quod, quæ desiderantibus sunt alimenta, onera fiunt plenis. Qui sanitati suæ rectè consultum cupit, sensuum judicio non semper stabit; eorum perspicaciam eludunt lactis caprilli purgandi vis, coturnicum, pavonum, gallorum Numidiorum, anatum cortalium venenata subinde qualitas, fungorum edulium vis nonnunquam deleteria. Æquitatis itaque illorum judicij fidem faciant ratio & experientia; hanc periculosam qui duxerit, cautior sit minùsque avidus, consueto tantùm facilique cibo nec per artem voluptatemque corrupto corpus suum alat ac reficiat, labori & sumptibus parcet, anxiâ animi sollicitudine vacabit & ab omni noxij alimenti metu atque suspicione vindicabitur.

Ergo non est soliùs Gustûs de alimentis ferre judicium.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus Landrieu.
M. Antonius de Sartes.
M. Daniel Arbinet.
M. Carolus Baralis, Med. Regius.
M. Ioan. Anton. Bourgaud.
M. Germanus Hureau.
M. Rober. Patin, Profes. Regius.
M. Franciscus Pijart.
M. Petrus de Beaurains, Scholæ Antiquior Magister.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS PVYLON, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

PARISIIS,
Ex Typographiâ F. MUGUET, Regis ac Illustr. Archiepiscopi Parisiensis Typographi, viâ Cytharæ, ad Insigne Adorationis trium Regum.